Libri precationum
B. Maria Virgo.

Dies Sodalis Mariani.
Posnaniae typis S.J.
1728.

DIES SODALIS MARIANI,

Ab
AURORA
In
HESPERUM.
A
Piis & generosis manibus & Animis decurri solitus.

POSNANIÆ

…egiis Clari Collegii So-
…anno Domini 1728.

PIUM
MANE SODALIS
MARIANI.

DIgniſſime DEUS, Te ego miſera & indigniſſima creatura tua Deum meũ ſummum bonum credo, amo, æſtimo: ado- glorifico, meque in conſpectu divniæ Majeſtatis, quan- ſum, & Tu donas, proji- s ago tibi pro beneficijs

hac potissimum nocte mihi concessis. Tibi ô pretiosissima Virgo MARIA, Sancte Angele Custos, Sancti Patroni mei,

Reddo me iterum Divinissimæ Tuæ Bonitati ô Beata Trinitas, & commendo me tibi totum cum corpore, & anima, tibi quoque pretiossima Parens Virgo Maria, Sancte Angele custos, Sancti Patroni mei.

Doleo, quòd Te summum bonum offenderim, quem amo super omnia.

Firmiter statuo, peccata omnia vitare, sed maximè hoc (*Certum aliquod in quod passim relaberis, pone*) simulque spondeo cavere occasi nes.

Tuam tantùm modo DEUS elargiri digner

Pro qua totâ mendicitatis meæ abysso Tibi supplico DEUS dignissime. Quid enim sum sine Te, nisi dux in nihil, quod est peccatum.

Quid sum mihi sinè Te O JESU! nisi regio egestatis, terra sterilis, inopiæ & malitiæ ferax.

Omnes actiones meas diurnas, dicta & cogitata mea offero in unione Passionis & meritorum tuorum ad majorem tuum ô Sacratissima Trinitas honorem & gloriam, gustum, & consolationem Beatissimi cordis tui.

In honorem Beatissimæ Virginis Matris Tuæ, in honorem Sancti Angeli Custodis. SS. Patronorum meorum.

In gratiarum actionem pro be-[…]is mihi, meisque à te conces-

In satisfactionem pro peccatis meis. & meorum.

Ad impetrandas mihi meisque necessarias gratias, animœ & corpori utiles.

VOlo dignissime DEUS ab hoc tempore omnia facere, eo motivo, quo Tu vis, & quia Tu vis illa fieri à me, idque propter omnium mandatorum tuorum impletionem, propter virtutum Spiritualium, Donorumque & fructuum Spiritûs Sancti in omni congruo mihi gradu assecutionem, exercitationem, incrementum, propter gratiæ Tuæ in me confirmationem, propter totius mundi auxilium, propter omnium Sanctorum Angelorum, Pretiosissimæ Parentis. Tuum o JESU honorem ac i tionem, propter omnin

gustûs recreationem, tuæ dignitatis exaltationem, mei denique universalem annihilationem.

Ad
Beatissimam VIRGINEM
MARIAM.

PRetiosissima Parens Virgo MARIA, Domina mea, Tibi ego mancipium tuum vilissimum omnes actiones meas diei hujus, & vitæ totius commendo, easque tuis sacratissimis manibus & meritis, gratiis & donis exornandas, atque Sacratissimæ Trinitatis conspectui pro me offerendas committo: quatenus enim à me sunt, indignissimæ ejus conspectu sunt.

FORMULA

SODALIUM

IMMACVLATÆ CONCEPTÆ

VIRGINIS MARIÆ.

SAncta MARIA Mater Dei & Virgo, ego N. te hodie in Dominam, Patronam & Advocatam eligo, firmiterq; statuo ac propono me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum aut facturum, neque permissurum, ut à meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur: obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis, Amen.

Propoſitum caſtæ mentis quotidianum.

EGo N. coram caſtiſſima Virgine MARIA. Angelo Cuſtode & tota curia cœleſti Tibi DEUS cordis mei, quem ubique præſentem agnoſco & ſanctè veneror, me ſiſto, & proteſtor me nolle unquam conſentire, non modò facinori committendo, ſed ne cogitando quidem ulli turpi delectationi, quantumvis adverſárii vim ingerant, & carnis rebellio inſurgat.

Deteſtor, & execror omnes iſtas fœditates, malo mori, quàm fœdari, & malo, ut in infernum vivus deſcendam, quàm ut turpi delectationi ad momentum conſentiam.

Ita decretum ita conſtitutum eſt animo meo. Adſis ô MARIA

De-

Domina mea, ô Angele Custos mi, adeste ô Pátroni castitatis meæ, Tuque ô JESU pie, seminator casti consilii voluntatem meam confirma, quod per sanguinem tuũ humillimè rogo, Amen.

Ad Sanctam Sindonem pro liberatione Animæ è Purgatorio.

DEUS qui nobis in Sancta Syndone, quâ Corpus tuum Sacratissimum de Cruce depositum, à Joseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem & Sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur, Amen.

EXERCITIUM
SPIRITUALE
Ab omni fideli Christiano ad minimùm semel de die attentè dicendum.

ADoro Te Sanctissima TRINITAS, PATER & FILI, & SPIRITUS Sancte, tres Personæ, unus & solus DEUS

Dejicio me in abyssum mei nihili; sub conspectu Divinæ Majestatis Tuæ.

Credo firmissimè paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quæ nobis in sacra Scriptura revelâsti, & per totam Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in Te colloco,

loco, & quidquid poſſum habere boni, ſiue ſpiritualis, ſive temporalis, & in hac & in altera vita, id totũ deſidero, ſpero, & volo, ſolùm conſequi de tua Manu DEUS meus vita mea, & unica ſpes mea.

Conſigno Tibi hodie, & in perpetuum corpus & animam meam, omnes potentias, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes ſenſus meos.

Proteſtor me non conſentire, neque conſenſurum unquam, quantum in me eſt: in ullam rem quæ fiat, vel cum minima offenſione Tuæ Divinæ Majeſtatis.

Propono firmiſſimè, impendere omne eſſe meum: facultates ac vires meas, ad ſervitium & gloriam Tuam Paratus ſum ſuſcipere, quæcũq; adverſitates, quas mihi Pat

Tua manus immiſerit, ad dandum guſtum Beatiſſimo Cordi Tuo.

Vellem me totum quantus quantus ſum, impendere, & procurare, ut ab omnibus Tibi ſerviatur, atque omnes homines Te glorificent & ament DEUM Creatorem ſuum.

Gaudeo ſummè de Tua æterna felicitate, & exulto de Tua tam magna gloria in cœlo & in terra.

Gratias tibi ago infinitas, pro innumeris beneficiis quæ mihi & toti mundo collata ſunt, & in eum inceſſanter à benigniſſima Tua Providentia conferuntur.

Amo Tuam infinitam Bonitatem propter ſe ipſam ex toto affectu Cordis & animæ meæ, & vellem ſi poſſem amare, eo amare, quo Te amant Angeli & homines juſti cum quorum amore conjungo imperfectiſſimum amorem meũ. Of-

Offero Divinæ Majeſtati Tuæ, in unione meritorum paſſionis, vitæ & mortis Chriſti ex nunc pro ſemper omnia opera mea, pretioſiſſimo Sangvine JESU, Redemptoris noſtri lota & involuta.

Volo etiam omne illud quod poſſum offerre in pœnitentiam & ſatisfáctionem meorum peccatorum.

DEUS meus, cum Tu ſis infininitè dignus omni amore & ſervitio; ſiquidem Tu es, qui es, doleo, quàm poſſum maximè, de omnibus meis peccatis, illaque deteſtor, ſupra omnia alia mala: peto humillimè veniam, facióque firmiſſimum propoſitum, nunquam offendendi Tuam bonitatem in æternum.

In tua vulnera me projicio ô JESU.

SU, ibi me abſconde & defende hodie & ſemper donec mihi largiaris gratiam videndi Tui, & amandi in æternum, Amen.

AD DOMINUM JESUM CRUCIFIXUM.

O Domine JESU Chriſte per amaritudinem illius paſſionis, quam ſuſtinuiſti in cruce, maximè in hora, quando benedicta anima Tua egreſſa eſt de Sancto Corpore Tuo, miſerere animæ meæ, maximè in egreſſu ſuo, Amen.

LITANIA AMORIS Dulciſſimi JESU,

Amoris noſtri.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miſerere nobis.
Dulciſſime JESU immenſe Fons amoris,
Dulciſſime JESU amantium vita,
Dulciſſime JESU indeficiens Amor,
Dulciſſime JESU auctor & infuſor amoris.
Dulciſſime JESU, qui non potes non amare.
Dulciſſime JESU amantium Rex
Dulciſſime JESU Dux amantium.

Dulcissime JESU plenitudo amoris
Dulcissime JESU, qui omnem amorem superas.
Dulcissime JESU causa finalis & efficiens amoris.
Dulcissime JESU amor fortis.
Dulcissime JESU languentes animas amore reficiens.
Dulcissime JESU amantium Robur, Fortitudo, Firmamentum.
Dulcissime JESU amor cujus pax exsuperat omnē sensum
Dulcissime JESU amantium Portus
Dulcissime JESU, qui es ipsissimus amor.
Dulcissime JESU amator fidelissime.
Dulcissime JESU amator vigilantissime.

Da, ut amem te & amem super &c.

Dul-

Dulciſſime JESU amantium Cuſtos & conſervator.

Dulciſſime JESU amantium Rector & Gubernator.

Dulciſſime JESU, qui omnes perficis amantes,

Dulciſſime JESU amantium liberaliſſime.

Dulciſſime JESU pulchræ dilectionis ordinator.

Dulciſſime JESU amator æterne.

Dulciſſime JESU amator increate.

Dulciſſime IESU Caſti amoris conditor.

Dulciſſime IESV ignis amoris conſumens,

Dulciſſime IESU amor violente.

Dulciſſime IESU incendium veræ Dilectionis,

Dulciſſime IESU virtus & vigor amantium,

Da, ut amem te, amem ſuper omnia.

Dulciſſime IESU amantium gloria.
Dulciſſime IESU amoris merces.
Dulciſſime IESU ſedes amoris.
Dulciſſime IESU amor incarnate,
Dulciſſime IESU amoris ſponſe,
Dulciſſime IESU amor ſpinis coronate.
Dulciſſime IESU amor crucifixe
Dulciſſime IESU amoris victima, ô amoris victima.
A primo inſtanti Incarnationis Tuæ omni hora, omni momento vitæ, amoris victima, omni momento acerbiſſimæ Paſſionis Tuæ, & præſertim in cruce, ſed maximè in illa hora quando nobiliſſima Anima Tua egreſſa eſt de benedicto

Da ut amem te & amem ſuper omnia.

Cor-

Corpore Tuo, ex infiniti amoris excessu & immensis doloribus, O amoris victima!

Dulcissime IESU Abyssus amorum pulchritudinum, & deliciarum omnium.

Dulcissime IESV Rex gloriæ, Verbum Patris, Sapientia Increata, Beatitudo, Felicitas, Vita, Virtus, Voluntas, Gaudium, Corona, & amor Sanctorum omnium, cordis mei amor, vita, desiderium, & omne bonum. Da, ut amem te, & amem super omnia.

Dulcissime IESV, ut amemus Te suaviter, fortiter, & prudenter. Te rogamus, audi nos.

Dulcissime IESV, ut in amore tuo simus fervidi, circumspecti invicti. Te rogamus, audi nos.

Dulcissime JESV, ut diligamus Te non solùm linguâ; sed opere & veritate. Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi per dilectionem tuam. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, per amorem tuum. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, per nimiam charitatem tuam. Miserere nobis.

OREMVS.

AMabilissime Domine JESV Christe, qui non potes non amare, per violentiam Dulcissimi Amoris Tui compelle rebellem animam meam ad te amandum, ut tibi serviam, tibi placeam, te super omnia diligam, tua præcepta, [illegible]a Consilia adimpleam, ut amori

ri tuo im̃oriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. Qui vivis & regnas Amor meus cum Patre & Spiritu S. in Amore sempiterno, Amen.

Dulcissime IESV, Amantium vita & amoris victima, Abyssus amorum, pulchritudinum & deliciarũ omnium cũ Patre & Spiritu S. amo te, & amo super omnia. O quando erit illud? quando? Vt videam, amem, laudem, adorem te in essentiali tua gloria, omnes beans, O quando erit illud? quando?

SACRUM SODALIS MARIANI.

Et intentio pro Sacro & Communione.

OFfero tibi Excellentissime DEVS hoc SS. Sacrificium, qu

audire, & SS. Sacramentum, quod ſumere intendo ad maximam æternamque DivinæMajeſtatis tuæ laudem, cultum, & conſolationem beatiſſimi Cordis tui, in Commemorationem, ac venerationem Incarnationis, Paſſionis, mortis, & Reſurrectionis & Aſcenſionis Domini noſtri IESV Chriſti, ut recognoſcam te ſupremum eſſe Dominum univerſorum: vitæ, ac mortis poteſtatem habentem, utque meam ac totius mundi abjectiſſimam ſub abſolutum Dominum ſubjectionē proſternam atque, ſubjiciam, in gratiarum actionem pro beneficiis tuis NN. mihi & aliis conceſſis. In ſatisfactionem pro peccatis meis, & aliorum.

Ad impetrandum hoc NN. & alia tua beneficia offero? Vt plenarium

rium à Te Iubilæum, & quascun-
que possum Indulgentias ex the-
sauro Ecclesiæ consequar; Vt fo-
mitem peccati sanguine Christi
restinguam, & perfectam castita-
tem ab attactu purissimi Corporis
illius obtineam. Vt fervore chari-
tatis ab hoc igne consumente suc-
cendar. Vt sortiar omnis Christife-
ræ Passionis effectus. Vt Spiritum
Christi imbibam, quo vivam cum
illo, charitate, humilitate, castita-
te, zelo gloriæ Dei, cum quo Sal-
vator meus dilectissimus vixit. Vt
à vanis, superbis, immundis, ira-
cundis cogitationibus & desideriis
emunder, & sanctissimis adimple-
ar, ut emplastro vitiosos habitus a-
nimæ sanem; ut hac portione ab
omni peccato mortali, & delibera-
to veniali præserver; Vt solida a-

& conſtantem devotionem Beatiſſimam Virginem, & hoc Sanctiſſimum Sacrámentum adipiſcar; Vt præſervationem à peccatis mortalibus impetrem Sodalibus meis, iſtis NN. Vt latiſſimam charitatem toti mundo exhibeam; præcipuè, ut agonizantibus felicem mortem, peccatoribus pœnitentiam, Iuſtis ſanctitatis augmentum, afflictis conſolationem, captivis redemptionem, pauperibus ſuaves tuæ providentiæ divitias, infidelibus converſionem, Eccleſiæ *Paſtoribus* vigilantiam, & vitam exemplarem; Omnibus autem operariis in vinea Domini felicem zelum conciliem, ut quàm plurimas animas è purgatorio liberem, omnibus verò pœnarum levamen conficiam, ut omnibus amicis & ini-

micis meis, & quicunque pro me orant vel orationibus meis, commendati esse volunt, aut debent, beneficia maximè necessaria dones; ut felicem mortem ab absoluto vitæ & mortis Domino obtineam, habeamque cæleste viaticum pro itinere æternitatis felicissimè assequendo, Amen.

Ad BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.

O Mater pietatis & Misericordiæ Beatissima Virgo Maria. Ego miser indignus peccator ad te confugio toto corde, & affectu, & precor tuam pietatem, ut sicut dulcissimo Filio in Cruce pendenti adstitisti, & simul cum illo Sacrificium

imma-

immaculatum Corporis & Sanguinis ejus, in mundi redemptionem Deo Patri obtulisti. Ita & nobis omnibus hic & in tota Ecclesia, huic Sacrificio hodie præsentibus clementer assistere digneris. Ut uis adjuti precibus, dignam & acceptabilem Hostiam Summæ Trinitati offerre, & divinos ejus fructus percipere valeamus, Amen.

Facta intentione Sacri tempore, dic sic: Conce: vel his te occupa, quæ infrà libellus hic habet, vel alia tibi placita etate, quâ supplere, compensare & im... cura irreverentias, quas Christus ...ctissimo Sacramento patitur à lin... vana, obscenaque. tremendi Sa...cii tempore loquentibus.

OFFICIUM PARVUM

Immaculatæ Conceptionis.

B. VIRGINIS MARIÆ.

AD MATVTINVM.

EIa mea labia nunc annuntia
Laudes & præconia Virgin
Beatæ,
Domina in adjutorium meum i
tende.
Me de manu hostium potenter
fende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiri
Sancto, &c.

HYMNVS.

SAlve mundi Domina,
Cœlorum Regina.
Salve Virgo Virginum,

Stella Matutina.
Salve plena gratia,
Clara Lux Divina,
Mundi in auxilium,
Domina festina,
Ab æterno Dominus.
Te præordinavit,
Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, æthera,
Te pulchram ornavit
Sibi Sponsam, ut quæ in
Adam non peccavit.
Elegit eam Deus, & præelegit eam,
In Tabernaculo suo habitare fecit
eam,
Domina exaudi, orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORÉMUS.

SAncta MARIA Regina Cœlorũ
Mater Domini nostri JESV Chri-

ſti, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum deſpicis, reſpice me Domina clementer oculo Tuæ pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc tuam Sanctam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravîum capiam, ipſo, quem Virgo perperiſti donante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu S. vivit, & regnat in Trinitate perfecta DEUS, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad Te veniat,
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Et fidelium animæ, per miſericordiam Dei, requieſcant in pace. Amen.

Do

AD PRIMAM

Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo Sapiens.
Domus DEO grata,
Columna septemplici,
Mensaque exornata.
Ab omni contagio
Mundi præservata,
Antè Sancta, in utero
Parentis, quàm nata.
Tu Mater viventium.
Et porta es Sanctorum
Nova stella ex Jacob.
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis
Acies castrorum,
Portus & refugium

Sis Christianorum.
Ipse creavit illam in Spiritu Sancto,
Et effudit illam super omnia opera sua.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

OREMVS.

SAncta MARIA Regina Cœlorum Mater Domini &c.

Cum reliquis ut suprà.

AD TERTIAM.

Domina in adjutorium meum intende,
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in Principio, &c.

HYMNUS.

SAlve Arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,

Rubus visionis,
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis.
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis.
Decebat tam nobilem
Natum præcavere,
Te ab originali,
Labe Matris Evæ.
Almam quam elegerat
Genitricem, verè
Nulli prorsus patiens
Culpæ subjacere,
Ego in altissimis habito,
Et thronus meus in columna nubis.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

O R E M V S.

SAncta MARIA, Regina Cœlorum, Mater Domini &c.

Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve ô puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen mærentium.
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ,
Cedrus Castitatis.
Terra es benedicta,
Et Sacerdotalis,
Sancta atque immunis
Culpæ originalis.
Civitas Altissimi,
Porta orientalis,
In te est omnis gratia,
Virgo Singularis.

Sicut

Sicut lilium inter ſpinas:
Sic amica mea inter filias Adæ
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta MARIA Regina Cœlorum, Mater Domini &c.

Cum reliquis ut ſuprà.

AD NONAM.

Domina in adjutorium meum intende
Me de manu hoſtium &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve Urbs refugii,
Turrisque munita,
David propugnaculis,
Armisque inſignita.
Tu in Conceptione,
Charitate ignita,
Infernalis poteſtas,

Est à Te contrita.
Eja mulier fortis,
Et invicta Judith,
Pulchra Abisai Virgo.
Verum fovens David.
Rachel procuratorem
Ægypti gestavit,
Sed Salvatorem mundi
MARIA portavit.
Tota pulchra es amica mea,
Et macula originalis nunquam
fuit in Te.
Domina exaudi orationem meam
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta MARIA Regina Cœlorum, Mater Domini, &c.

Cum reliquis ut suprà.

AD VESPERAS.

Domina in adjutorium meum &c.
Me de manu hostium potenter &c.
Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve horologium,
Quo retrò gradiatur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur.
Homo ut ſab inferis
Ad ſumma tollatur,
Immenſus ab Angelis
Paulò minoratur.
Solis hujus radiis,
MARIA coruſcat,
Et conſurgens aurora,
In conceptu micat.
Lilium inter ſpinas,
Quæ ſerpentis conterat
Caput, pulchra ut Luna,
Errantes colluſtrat.
Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens,
Et quaſi nebula texi omnem terrã.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

SAncta MARIA Regina Cælorum, &c. *Cum reliquis ut suprà,*

Convertat nos Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus.

Et avertat iram suam à nobis,

Domina in adjutorium meum, &c.
Me de manu hostium &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo nobilis,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellis coronata,
Super omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram.
Stans veste inaurata,
Per te Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum.
Refulgens stella maris, Por-

Portus naufragorum,
Patens cœli Janua,
Salus infirmorum.
Videamus Triadem
In aula Sanctorum.
Oleum effusum MARIA Nomen tuum.
Servi tui dilexerunt te nimis.
Domina exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

SAncta MARIA, Regina Cœlorum, Mater Domini, &c.

Cum reliquis ut suprà.

COMMENDATIO.

SUpplices offerimus,
Tibi Virgo pia,
Has Horas Canonicas,
Fac, nos ut in via.
Ducas cursu prospero,
Et in agonia,
Præsens nobis assiste,

O dulcis MARIA, Amen.

Hæc est Virgo, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

In Conceptione Tua Virgo immaculata fuisti.

Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

OREMUS.

DEus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparâsti: quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eã ab omni labe præservâsti, ita nos quoq; mundos ejus intercessione, ad te pervenire concedas. Per eundem Christum Dominum nostrum Amen.

LITANIÆ

De Beata Virgine MARIA.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſer:
Spiritus Sancte, Deus, Miſerere.
Sancta Trinitas Unus Deus, Miſere:
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Chriſti,
Mater Divinæ gratiæ,
Mater puriſſima,
Mater Caſtiſſima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,

Ora pro nobis.

Mater admirabilis. Ora pro nobis
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Virgo concepta sine peccato originali.
Speculum justitiæ,
Sedes Sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,

Ora pro nobis.

Janua cœli.
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,

Ora pro nobis.

A cunctis periculis, Libera nos Mediatrix nostra.

Per Immaculatam Conceptionem tuam, Libera nos &c.

Per admirabilem Annuntiatonem tuam, Libera nos &c.

Per mundissimam Purificationem tuam, Libera nos,&c. Pec-

Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut Ecclesia per te gratiis cœlestibus abundet, Te rogamus audi nos.
Ut fidelibus fidem, peccatoribus pœnitentiam, justis tui ac Filii imitationem impetrare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Sodalitates tibi peculiari obsequio devotas, conservare & augere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut tuos misericordes oculos in nos convertas, Te rogamus audi nos.
Ut benedicto fructu ventris tui nos frui facias. Te rogamus audi nos.
Ut vivis gratiam, defunctis requiẽ impetres, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.

Ave Maria gratia &c.

Sub tuum præsidiũ confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed à periculis cunctis, libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta.

ORATIO. AD BEATISSIMAM V. MARIAM Et JOANNEM *Evangelistam.*

O Intemerata, & in æternum Benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo; Dei genitrix MARIA, gratissimum Dei Templũ, Spiritûs Sancti Sacrarium, Janua regni cœlorum, per quam post Deum

to-

totus vivit orbis terrarum. Inclina Mater miſericordiæ, aures tuæ pietatis indignis ſupplicationibus meis & eſto mihi miſerrimo peccatori pia & propitia in omnibus auxiliatrix. O Joannes Beatiſſime! Chriſti familiaris, & amice, qui ab eodem Domino noſtro JESU Chriſto Virgo es electus, inter cæteros magis dilectus, atque myſteriis cœleſtibus ultra omnes imbutus, Apoſtolus enim & Evangeliſta factus es præclariſſimus. Te etiam invoco cum MARIA Matre ejusdem Domini noſtri JESU Chriſti, Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipſa conferre digneris. O duæ gemmæ cœleſtes, Maria & Joannes: O duo luminaria divinitùs ante Deum lucentia; veſtris radiis ſcelerum meorum effugate nubila. Vos e-

nim eſtis illi duo, in quibus Unigenitus DEI Filius ob ſinceriſſimæ virginitatis meritum dilectionis confirmavit privilegium in Cruce pendens, uni veſtrum ita dicens Mulier ecce Filius tuus; deinde ad alium: Ecce Mater tua! in hujus ergo tam ſacratiſſimi amoris dulcedine, quà tunc ore Dominico velut Mater & Filius ad invicem conjuncti eſtis, vobis duobus ego miserrimus peccator commendo hodie Corpus & animam meam: ut in omnibus horis atque momentis, interiùs & exteriùs firmi cuſtodes, & pii apud Deum interceſſores mihi exiſtere dignemini. Poſcite mihi, quæſo, corporis & animæ ſalutẽ, agite, quæſo, agite veſtris glorioſis precibus, ut cor meum inviſere, & habitare ſemper dignetur Spiritus

tus almus, gratiarum largitor optimus: qui me à cunctis vitiorum sordibus expurget: virtutibus sacris illustret & exornet, in dilectione Dei & proximi mei perfectè stare, & perseverare me faciat: & post hujus vitæ cursum ad gaudia ducat electorum suorum benignissimus Paraclitus. Qui cum Patre & Filio vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

ACTUS SALUTATIONIS BEATISSIMÆ.

Hæc decas Salutationum Beatissimæ servire poterit, pro methodo decurrendarum decadum, sivè Coronæ, sivè Rosarii.

SAluto Te Beatissima eo affectu, quo salutat te Æternus Pater, tanquam Filiam suam, vel sibi comparentalem.

2. Saluto te Beatissima, eo affectu quo te salutat Verbum æternũ, tanquam suam Matrem.

3. Saluto te Beatissima eo affectu, quo te salutat Spiritus Sanctus, tanquam suam Sponsam.

Docet S. Evangelium, quod Christus fuerit subditus illis, hoc est Beatissimæ, & Sancto Joseph. *Hinc*

4. Saluto te Beatissima eo affectu, quo affectu te salutabat Humanitas Christi, tanquam suam Dominam.

Sunt qui docent, Angelum Gabrielem, dum veniret ad salutandam Beatissimam, reperisse illam legentem, & expendentem illa Prophetæ verba: Ecce Virgo concipiet,

desiderantemque, ut posset esse à servitiis, ancillarique Matri Messiæ.
Ex hoc fundamento.

5. Saluto te Beatissima eo affectu, quo tu salutâsses Matrem Messiæ, si ipsa non fuisses sublimata ad dignitatem Matris Dei.

6. Saluto te *B*eatissima eo affectu, quo salutavit te primum in hoc mundo Angelus Gabriel.

Indubitatè isti, qui in Carne nôrant Beatissimam, magno affectu & cultu salutâsse illam debuerant. Collige id ex Historia Sancti Dionysii Areopagitæ, qui fertur dixisse, ubi Beatissimam vidit, si me fides non doceret Deum unum esse, pro Deo Beatissimam colerem. Quanta item devotio fuit Sancti Bernardi, dum Beatissimæ diceret: Ave MARIA, respondebat illi Beatissima

ma: Salve Bernarde. Interrogatus item Sanctus Stanislaus, an amaret Beatissimam? quasi non humana voce respondisse visus. Quid dicis Pater? Mater mea est. *Itaq;*

7. Saluto te Beatissima eo affectu, quo te salutarunt Sancti, qui te in carne nôrant, quo te salutarunt Sancti qui ante nos fuerunt quo te salutant nunc, & salutabunt usque ad ultimam salutationem, quam tibi in hac vita dicam.

Nunquam er t Ecclesia Dei sine servis Dei, adeòque & amatoribus; sed insignes servi Dei, qui ad tempora Antichristi vivent, *Proinde.*

8. Saluto te Beatissima Virgo eo affectu, quo te post exitum tuum è vita hac salutârunt Sancti, præcipuè ad tempora Antichristi.

Saluto te B atissima eo aff ctu,

quo affectu salutarunt, salutant te, salutabunt animæ in purgatorio.

10. Saluto te Beatissima seo affectu, quo affectu salutarunt, salutant, salutabunt te Sancti Dei, primum post Deum visum, adoratum Christum.

Saluto te omnibus salutationibus illorum tota æternitate duraturis.

Sub tempus elevatæ Sanctissimæ Hostiæ & calicis.

SODALIS MARIANI

Occupatio.

I. MAnus tuæ plasmaverunt me, Creator benignissime, toties clemens aspicis opus, quod creâsti me manuum tuarum plasma, Quando approbabis quo

creâſti, O quando de me, de meis dictis, factisque audiam cenſuram illam, quam urticis & lolio impendiſti, & erant valde bona!

2. Quàm bonus DEUS es, ſolem tuum JESUM oriri faciens ſuper bonos & malos, & me malum etiam hodie.

3. O pluvia Sanguinis JESU urticam me quando complues. Quando de ſpinis his colliges uvas, & roſas? O quando? cur non hodie?

4. O Corporis, & ſanguinis hujus Digniſſima Mater, Benedictum hunc ventris tui fructum, mihi peccatori poſt exilium à DEI gratia, quod peccando ipſemet mihi feci, tandem oſtende, me ad JESUM revoca, me illi reſtitue.

5. *Audi Dominum JESUM in Sanctiſſima Hoſtia tibi loquentem.*

Cogita tu de me, & ego de te.

Et,

Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum; nullatenus à te separabor, *Audi & responde.*

Aspice in manibus Sacerdotis Dominum JESUM, & vide, num tu hodie oculos, cor, manus, ita mundas à peccati labe habeas! ut iis Dominum JESUM ferre possis ut olim S. STANISLAUS KOSTKA, post sumptum Christum. Jamnè hospes hospiti manum dignam porrigis.

Intellige, quid velit Dominus JEsus, te monens hodie in SS. Hostia, Declina à malo hodie, fac bonum hodie, sustine prudenter. In triplici conversatione, scilicet quando res tibi cum Deo, cum proximo, tecum. Ad diem Sodalis Mariani spectat Confessionis hora & Cōmunionis.

Con-

Confessionē facturus reflecte te, quod usurus sis medio post amissam & infirmatam spem salutis, ad integrè recipiendam spem veniæ & salutis, & quidem medio à Christo tibi liberalissimè indulto:

Age hic cum Christo tuo verbis quibusvis corde serio pœnitentiæ.

Dic peccata, clarè, ad confusionem tuam cum dolore, & serio proposito emendationis. Roga ipsumet Christum, ut Confessionem hanc juxta gustum ejus & bene placitum exequaris, quam fac ut ultimam facere velles moribundus.

Post Confessionem, gratias age Divinæ Majestati, pro benignissimo absolutionis decreto, roga, ut pietas D. JESU suppleat quidquid etiam in hoc tam benigno Sacramento, ex tua defuit fragilitate. Pœnitentiam quamprimum exequaris, hæc enim est pars Sacramenti.

Hora Communionis.

Reflecte te ad intentionem, quam habes ante Sacrum, Deinde supplica Angelo Custodi & dic:

GLoriose Princeps, Custos mi, nuntia bono Pastori: en est ovicula perdita, ejus misericordiâ millies, & millies eruta ex faucibus lupi infernalis quærit pascua. O pascua! O fontes Eucharistici: fontes amoris, gratiæ; cœlestium deliciarũ, fontes aquæ salientis, in vitam æternam Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad fontem vivũ.

Gloriose Princeps Angele Custos mi, nuntia magno Patrifamilias, revertitur servus ille nequam, qui dissipavit bona Domini sui, dolens & gemens, in posterum certus, velle strenuè, ac fideliter servire in vinea Domini sui. Glo-

Gloriose Princeps Angele Custos mi, nuntia amabilissimo Parenti, Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis, filius illius prodigus revertitur de terra longinqua, clamans: quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & ego fame pereo, surgam, & ibo ad Patrem meum, dicam: Pater, peccavi in cœlum, & coram te non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis. O audiam paternam illam vocem: citò afferte stolam primam-date calceamenta in pedes ejus: & annulum in manus ejus, filius meus perierat, & inventus est, mortuus, vivit, & revixit.

Post Communionem.

Impendat Sodalis Marianus tantillum temporis, gratias hospiti suo

JESU agat, pro affectu & Christi erga se, & suo erga JEsum.

DIgnissime omni amore Deus, amor mi JESU, amo te amore, quo te amant Sancti amici tui, quo omnes simul amârunt aliquando, & amabunt adhuc. Desidero etiam eo, quo dignus es, & quo te ipsum amas amore mihi possibili amare. Utinam tu quoque Deus ames me, amore quo amas Sanctos amicos tuos.

Adoro te, & gratias ago pro vocatione ad tanti boni usum. In gratiarum actionem offero omnes actiones meas. Vilifico me coram te Deo Redemptore meo dilectissimo, sicut revera vilis ego sum, ingratus, Instabilis, ac servus inutilis, Attamen credo de te, quidquid credendum mihi proponit Ecclesia, & hu-

jus Sacrificii cultum promovere volo.

Recolo tuæ Passionis dolorumq; Sanctissimæ Matris tuæ memoriam, ad quam in omnibus confugio: potissimùm in impetranda gratitudine, pro Sacrificiis, & Sacramentorum usu.

Gaudeo de bonis tuis, doleo de malitia hominũ, qua in abusu beneficiorum tuorum ab illis offenderis.

Æterna sapientia, dulcis JESU miserere animabus purgatorii, Amen.

O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

LITANIÆ

De Omnibus SANCTIS.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis DEUS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſer:
Spiritus Sancte, Deus, Miſerere:
Sancta Trinitas Unus Deus, Miſere.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix,
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Sancte Michàël, Ora.
Sancte Gabriel, Ora.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines, Orate pro nobis.

S. Ioannes Baptiſta, Ora.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre. Ora.
Sancte Paule. Ora.
Sancte Andrea. Ora.
Sancte Jacobe, Ora.
Sancte Joannes, Ora.
Sancte Thoma, Ora.
Sancte Jacobe. Ora
Sancte Philippe, Ora.
Sancte Bartholomæe, Ora.
Sancte Matthæe, Ora.
Sancte Simòn, Ora.
Sancte Thadæe, Ora.
Sancte Mathia, Ora.
Sancte Barnaba, Ora
Sancte Luca, Ora.
Sancte Marce, Ora.
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, Orate pro nobis.

Omnes

Omnes Sancti Discipuli Domini, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, Orate pro nobis.
Sancte Stephane, Ora.
Sancte Laurenti, Ora.
Sancte Vincenti, Ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, Orate pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, Orate pro nobis.
Sancti Cosma & Damiane, Orate pro nobis.
Sancti Gervasi & Protasi, Orate
Omnes Sancti Martyres, Orate.
Sancte Sylvester, Ora pro nobis.
Sancte Gregori. Ora.
Sancte Ambrosi, Ora.
Sancte Augustine, Ora.
Sancte Hieronyme, Ora.
Sancte Martine, Ora.

San-

Sancte Nicolae, Ora.
Omnes Sancti Pontifices & Confessores. Orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores, Orate pro.
Sancte Antoni, Ora pro nobis,
Sancte Benedicte, Ora.
Sancte Bernarde, Ora.
Sancte Dominice, Ora.
Sancte Francisce, Ora.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, Orate pro nobis.
Sancta Anna, Ora
Sancta Maria Magdalena, Ora
Sancta Agatha. Ora.
Sancta Lucia, Ora
Sancta Agnes, Ora
Sancta Cæcilia, Ora.
Sancta Catharina. Ora.
Sancta Anastasia. Ora.

Sancta Hedvigis, Ora.
Sancta Elisabeth, Ora.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis,
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera.
Ab ira tua, Libera.
A subitanea & improvisa morte, Libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli, Libera.
Ab ira & odio, & omni mala voluntate. Libera nos Domine.
A Spiritu fornicationis. Libera.
A fulgure & tempestate, Libera.
A morte perpetua, Libera.
Per mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ, Libera nos &c.

Per Adventum tuum, Lib.
Per Nativitatem tuam, Lib.
Per baptismum & Sanctum jejunium tuum Libera:
Per Crucem & Passionem tuam, Libera nos Domine,
Per mortem & sepulturam tuam, Libera nos *D*omine.
Per Sanctam Resurrectionem tuam, Libera Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuan, Libera nos Domine.
Per Adventum Spiritûs Sancti Paclyti. Libera nos Domine.
In die judicii, Libera nos Domine.
Peccat res, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus.
Ut ad veram pænitentiam nos perducere digneris. Te rogamus.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere

&

& conſervare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Domnũ Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos Ordines in Sanctа Religione conſervare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut inimicos Sanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, Te rogamus.
Ut Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut cuncto populo Chriſtiano pacem & unitatem largiri digneris, Te rogamus audi nos.
Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas, Te rogamus.
Ut omnibus benefactoribus noſtris
ſem-

ſempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.
Ut animas noſtras fratrum propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus audi:
Ut fructus terræ dare & conſervare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris.
Te rogamns audi nos.
Ut nos exaudire digneris Te.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, *Secrete.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

PSALMUS *69.*

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, & pauper sum: Deus meus adjuva me.

Adjutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris, Gloria Patri.

℣. Salvos fac ſervos Tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis. ℟. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis. ℣. Oremus pro Pontifice noſtro N. ℟. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum ejus. ℣. Oremus pro Benefactoribus noſtris. ℟. Retribuere dignare Domine omnibus, nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æter

nam. ℣. Oremus pro fidelibus, defunctis. ℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Salvos fac Servos tuos Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟ Et de Sion tuere eos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEUS, cui proprium est misereri semper & parcere: suscipe deprecationem nostram, ut nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, Miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi, parce peccatis: ut pariter no-

bi

bis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

INeffabilem nobis Domine miſericordiam tuam clementer oſtẽde: ut ſimul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEUS, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

OMnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum ſecundùm tuam clementiam in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEUS, à quo Sancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt

opera

opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem: ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

URe igne Sancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium DEUS omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur

ACtiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando præveni & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio, & operatio, à te ſem-

per incipiat, & per cæpta finiatur.

OMnipotens ſempiterne DEus, qui vivorum, dominaris ſimul & mortuorum omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quoſque vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum &c.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus. ℟. Amen. ℣. Et fidelium animæ per

misericordiam DEI requiescant in pace, ℟. Amen.

VESPER SODALIS MARIANI, Seu EXAMINIS CONSCIENTIÆ PRAXIS.

GRatias ago Tibi dignissime Deus, pro universis, beneficiis tuis, totâ vitâ & hac potissimùm die, mihi concessis Benedictus es DEUS, quia fecisti mecum misericordiam: Benedicta tu quoque Domina mea, Virgo Maria, Sancti Angele Custos Sancti Patroni mei quorum intercessione, tot ac ta

ta mihi bona elargitus est DE-US.

Fac Domine mi ut videam quod hodie bene ad laudem tuam fecerim, & quid mali contra tuum honorem commiserim.

Decurre hic horas, dies, & negotia tua attendens quomodo in singulis gesseris te.

Reflecte te potissimùm ad propositum mane factum, num memor ejus fueris, cum ageres cum DEO cum proximo, tecum, quomodo te gessisti.

Doleo DEUS summum bonum meum, quod offenderim te indignissimus peccator. En adjutus gratiâ Redemptoris mei, JESU Christi diligo te super omnia bona mea,

Seriò in posterum vitam e-

mendare peccandi occasiones vitare, & confiteri, quamprimum spondeo. Nunc autem in manus Tuas spiritum meum, & me totum commendo. Tibi quoque Sanctissima Parens Sancte Angele Custos, Sancti Patroni mei.

ORATIONES
Ante Somnum.

I.

IN *Nomine* Domini nostri JEsu Christi Crucifixi cubitum eo. Ille me benedicat regat, custodiat, & ad vitam perducat æternam, Amen.

II.

Benedicta sit Sancta, & individua Trinitas., nunc & semper &

per

per infinita ſæcula ſæculorum. A.

III.

Dignare Domine nocte iſtâ, ſine peccato nos cuſtodire. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Fiat Miſericordia Tua Domine ſuper nos quemadmodum ſperavimus in te. In te Domine ſperavi non confundar in æternum.

O Crux Chriſti ſalva nos,
O Crux Chriſti defende nos.
In Nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

ORATIONEM DOMINICAM,
Scit
SODALIS MARIANUS
Septem continere
PETIONES.

HAs itaque ſic explicatas proferat in auribus Dei.

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Proteſtor, quod non aucuper mei æſtimationem.

2. *Adveniat Regnum tuum.*

Nullo modò inhio bonis caducis.

3. *Fiat voluntas tua.*

In caſibus à Divina Providentia provenientibus non iraſcar, non indignabor.

4. *Panem noſtrum quotidianum.*

Odi gulam cupedias ſectantem odi abuſum potûs.

5. *Dimitte nobis &c.*

Nolo fovere vindictam.

6. *Et ne nos in ducas &c.*

Licentiam vivendi, inducentem me in mala per occaſiones non evitatas averſor.

7. *Sed libera nos à malo.*

Ace-

Acediam DEO comperari nolentem, deteſtor.

Dicat denique ſæpius cum Sancto Bonaventura, Sodalis Marianus, diem ſuam verbis ejus claudat & affectus in Virginem Mariam.

Dignare Benigniſſime JESU dare mihi peccatori miſero Digniſſimæ Matri ſuæ dignè ſervire, & fidelibus defunctis requiem æternam tribuas, Amen.

ITINERARIUM.

Canticum Zachariæ, Luc. I.

BEnedictus Dominus DEUS Iſràël, quia viſitavit, & fecit, Redemptionem plebis ſuæ,

Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendám miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui Sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis.

Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi.

In ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

Et tu puer Propheta Altiſſimi

vo-

vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus,

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos Oriens ex alto.

Illuminare his qui, in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiphona repetitur.

In viam pacis, & prosperitatis, dirigat nos Omnipotens, & misericors Dominus, & Angelus Raphàël comitetur nobiscum in via, ut cum pace salute, & gaudio, revertamur ad propria.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Pater noſter, &c.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Salvos fac ſervos Tuos.

Deus meus ſperantes in te.

Mitte ejus auxilium de Sancto.

Et de Sion tuere eos.

Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

A facie inimici.

Nihil proficiat inimicus in nobis.

Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Benedictus Dominus die quotidiè.

Proſperum iter faciat nobis.

DEUS ſalutarium noſtrorum.

Vias

Vias Tuas Domine demonſtra nobis. Et ſemitas tuas edoce nos.

Utinam dirigantur viæ noſtræ,

Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas

Erunt prava indirecta.

Et aſpera in vias planas.

Angelis ſuis DEUS mandavit de te.

Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

Domine, exaudi orationem meam,

Et clamor meus ad te veniat

OREMUS.

DEUS, qui filios Iſràél per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti, quique Magis iter ad Te ſtella duce pandiſti; tribue nobis quæſumus iter proſperum tempuſque tranquillum, ut Angelo

lo tuo Sancto comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum, pervenire feliciter valeamus.

DEUS, qui Abraham puerum Tuum de Ur, Chaldeorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti; quæsumus, ut nos famulos tuos custodire digneris. Esto nobis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia, & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum: in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; ut te Duce, quo tendimus prospere perveniamus, & demum incolumes ad propria redeamus.

Adesto quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates, Tuo semper protegamur auxilio. Præsta quæsumus Omnipotens DEUS, ut familia per viam salutis incedat & Beati Joannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secura perveniat. Per Dominum nostrum &c.

Procedamus in Pace
In Nomine Domini,
Amen.

❋ ❋ ❋ ❋ ❋ ❋
❋ ❋ ❋ ❋ ❋
❋ ❋ ❋ ❋
❋ ❋

Pii AFFECTUS De S. BARBARA, *Virgine & Martyre,* Singulari Morientium Patrona,

AD MATVTINVM.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
DEUS in adjutorium meum intende
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in Principio, &c.

HYMNUS.

AVe Martyr gloriosa,
BARBARA mundum perosa,

Paradisi vernans rosa,
Castitatis lilium.
Tu spreto cultu Deorum
Nobis in exemplar morum,
Te das, & obsequium.
℣. Specie Tua & pulchritudine Tua.
℟. Intende prospere, procede, & regna.

ORATIO.

INtercessio, nos quæsumus Domine B. Barbaræ, Virginis & Martyris semper adjuvet, ut inspiratè & subitò non moriamur, sed ante diem mortis nostræ Sanctissimi Corporis & Sanguinis tui, Sacrique Olei unctionis Sacramento salubriter muniamur, & ab omni malo protecti, ex hoc exilio ad cælestem Patriam perducamur. Qui

vivis

vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me, festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio &c.

HYMNUS.

AVe Virgo pulchra tota,
Charitatis fonte lota;
Pulchra, mitis & devota,
Vas virtutum omnium
Te ob fidem Christo datam,
Duris catenis gravatam.
Et carcere mancipatam.
Sævus parens cruciat.

ORATIO.

INtercessio, nos quæsumus Domine B. Barbaræ, Virginis & Martyris, &c. *ut suprà.*

AD TERTIAM.

℣. DEUS in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

AVe criminis ignara,
Sponsum audis voce clara,
Veni pulchra veni chara,
Veni coronaberis.
Minas, pœnas, contempsisti,
Magnos dolores vicisti
Crebros ictus pertulisti,
Dum pro Deo cæderis.

ORATIO.

INtercessio, nos, quæsumus Domine B. Barbaræ, Virginis & Martyris, &c. *ut supra.*

AD SEXTAM.

℣. DEUS in adjutorium meum, intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

AVe tota vulnerata,
Crudeliter flagellata,
Sursum pedibus levata.
Quassa caput malleo.
Ferro latera solvuntur.
Mammæ castæ præscinduntur
Acumine ferreo.

ORA-

ORATIO.

INtercessio, nos, quæsumus Domine B. Barbaræ, Virginis & Martyris, &c. *ut suprà.*

AD NONAM.

℣. DEUS in adjutorium meum intende

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

AVe Barbara serena.
Pulchre quasi luna plena
Singulari cantilena,
Sponsum agnum sequeris.
Tuam ille castitatem
Fovens alba nuditatem
Veste tegit, sanitatem
Ægro reddit corpori.

ORA-

ORATIO.

INtercessio, nos, quæsumus Domine B. Barbaræ, Virginis & Martyris, &c. *ut suprà.*

AD VESPERAS.

℣. DEUS in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

MAnum tollit & crudelem,
Stringit ensem in imbellem
Martyrem Christi fidelem
Genitor in filiam.
Vixdum caput amputavit,
Igne nubes laceravit.
Fulmen, Patris dissipavit,
Caput in perniciem,

ORA.

ORATIO.

INtercessio, nos, quæsumus Domine B. Barbaræ Virginis & Martyris, &c. *ùt suprà.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos Deus salutaris
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio &c.

HYMNUS.

AVe Barbara Beata,
Quæ cum sponso præparata,
Nuptiarum ad optata
Transivisti gaudia:
Tu es fulgens margarita,

In corona JESU sita.
Tam in morte quàm in vita.
Sis nobis propitia.

ORATIO.

INtercessio, nos, quæsumus Domine B.Barbaræ, Virginis & Martyris semper adjuvet, ut insperatè & subitò non moriamur, sed ante diem mortis nostræ, Sanctissimi Corporis & Sanguinis tui, Sacriq; Olei UnctionisSacramento, salubriter muniamur, & ab omni malo protecti, ex hoc exilio ad cœlestem Patriam perducamur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, in unitate Spiritûs Sancti DEUS, por omnia sæcula sæculorum, Amen.

COMMENDATIO

Virgo Sponſa Chriſti Chara,
Cum nos mors premet a-
mara,
E Cœleſtis templi ara.
Fer nobis viaticum
His te precibus donamus,
Has tibi laudes dicamus,
Cum nos trahet mortis hamus,
Adſis ad auxilium.